



# The Holy See

---

BENEDICTUS PP. XVI  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

LITTERAE DECRETALES

*QUIBUS MARIAE EUGENIAE A IESU  
SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR\**

Sapientia « in se permanens omnia innovat et per generationes in animas sanctas se transferens amicos Dei et prophetas constituit ».

Dei Sapientia in universo ipso, in eiusdem variis pulchrisque elementis, manifestatur, at eius maximo artificio facta opera, ubi multo magis eius venustas et magnitudo exstant, sunt sancti. Haec inter summi pretii opera annumerandam esse putamus Beatam Mariam Eugeniā a Iesu (saeculari nomine Annam Eugeniā Milleret de Brou appellatam), quae sicut ut Spiritus Sanctus eius in corde Christi vultum insculperet idque studio in Dei regnum diffundendum replet; sic suo in ambitu Evangelii lumen effundere voluit, cum in novas generationes, iuvenes feminas potissimum, christianas institutiones intellectus, morum et spiritualitatis inferret.

Prudens haec mulier Metis die XXV mensis Augusti anno MDCCCXVII divite familia orta est, quae eam in officii conscientia, responsalitate probitateque instituit, sed Dei semitas non demonstravit, licet eam baptizari sicut. Ad societatis consuetudinem post festinatam praeparationem primum Christi Corpus suscepit. Sed illa occasione id spiritualiter maxime est experta, quod usque memoria tenuit his verbis: « A Deo meo capta, anima mea ceteras res obviscebatur ... nihil praeter Deum adesse animadverti ». Paulo post mala ob tempora totum patrimonium amisit pater. Rei familiaris iactura dissensiones secum tulit et parentum seiunctionem. Beata Lutetiam Parisiorum secuta est petentem matrem. Post non multum tempus mater obiit, ideo Anna Eugenia adulescens quindecim annorum familiae cuidam diviti laetaeque est commissa. Deliciae saltationesque aequare non potuerunt eiusdem animi optata, neque vitae

postulatis congruenter respondere. Hac in rerum condicione fidei lux eius vitam collustrare coepit. Magis ac magis Dei mysterio gratiaeque agenti occurrens, post concionantem Patrem Henricum Dominicum Lacordaire O. P. auditum se ad Christum convertit. Ratione, fide caritateque perducta, per studiose angustae sanctitatis semitae iter incohavit, precationem, contemplationem apostolatamque usque coniungens. Christi Iesu enim amicitia ab Evangelio testificato atque ab animarum salvandarum actione seiungi non potest. Una cum presbytero Theodoro Combalot Congregationem Sororum ab Assumptione Beatae Mariae Virginis condidit, quae societatem per mentium evangelizationem necnon inter culturam fidemque compositionem commutaret. Vesperi die XXX mensis Aprilis anno MDCCCXXXIX, una cum alia eiusdem aetatis iuvene, Beata in diaeta quadam habitare coepit, quae prope est Ecclesiae Sancti Sulpicii Lutetiae Parisiorum.

Semen sic iactum est novi Instituti, quod, prudenter a conditrice perductum, celeriter in Gallia diffusum est, transgrediens mox Europae fines. Anno MDCCCLVIII Mater Maria Eugenia generalis Antistita per totam vitam electa est. Difficultates, dissensiones complures atque omnium generum probationes passa est. Ipsa est adiuta ab Emmanuele d'Alzon, Vicario generali Nemausensis dioecesis ipsoque spiritali suo moderatore qui postea Congregationem Augustinianorum de Assumptione condidit. Haec omnia eiusdem laetitiam, eo quod Deo, Ecclesiae mundique famulatu erat consecrata, non abstulerunt. Precatio « Adveniat regnum tuum » eiusdem vitae Congregationisque fuit propositum. Novisse et amare Christum, efficere ut is cognosceretur et amaretur, Ecclesiae et Dei regni praesentiam in societate dilatate cotidie studuit, quod idem verbo exemploque spiritalibus suis filiabus inculcavit. Dei coniunctionem apostolatamque precatione, Eucharistia celebrata adorataque atque filiali erga Virginem Mariam devotione, quam sub mysterio eiusdem in caelum assumptionis coluit, aluit. Ecclesiam et Romanum Pontificem dilexit. Scripsit enim: « Oportet Ecclesia sua in doctrina, suis in moribus, sua in historia, suis in traditionibus, suis in devotionibus diligatur; oportet in omnibus quae nobis praebet, in omnibus quae fuerunt et quae sunt diligatur ». Haec praecepta suae Congregationi reliquit, cum Dominus ad se die X mensis Martii anno MDCCCXCVIII eam vocavit.

Sanctitatis fama, quam viva habuit, post mortem producta est, idcirco Archiepiscopus Parisiensis anno MCMXXXIV beatificationis canonizationisque Causam incohavit. Anno MCMLXI decretum super virtutibus heroum in modum exercitis et anno MCMLXXIV decretum de miraculo prodierunt. Beatificationis ritus die IX mensis Februarii anno iubilari MCMLXXV evenit. Die XVI mensis Decembris anno MMVI facultatem Congregationi de Causis Sanctorum fecimus decretum de miraculo evulgandi, Beatae intercessioni adscripto. Exinde die XXIII mensis Februarii huius anni, Patribus Cardinalibus et Episcopis suffragantibus, in Consistorio coadunatis, statuimus ut Beatae Mariae Eugeniae a Iesu canonizatio die III mensis subsequentis Iunii celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam:

«Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra,

matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Georgium Preca, Simonem de Lipnica, Carolum a Sancto Andrea Houben et Mariam Eugeniã a Iesu Milleret Sanctos esse decernimus et defini-mus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione re-coli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Hanc praestabilem mulierem, quae ad fidem et culturam conciliandas sibi proposuit Evangelium nuntiare, cum omnibus adstantibus Nosmet Ipsi primi invocavimus et omnes hortati sumus ad ipsius exempla imitanda.

Quae autem decrevimus, volumus nunc et in futurum tempus vim habeant, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, in sollemnitate Sanctissimae Trinitatis, die tertio mensis Iunii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.*

## **EGO BENEDICTUS**

*Catholicae Ecclesiae Episcopus*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. C (2008), n. 6, pp. 361-364

© Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana